

DINVS FLORENTINVS.

Dinus quidam conciuus meus, qui ætate nostra gratissimæ dicacitatis adolescens fuit, casu præteriens, per loca frequētissima sepulchris, aliquos sibi notos senes illic confabulantes comperit, qui vt iocandi peritum irritarent, iocari simul omnes (vt est ætas illa loquacior) & manibus etiam plaudere cœperunt: ille se proripiens, hoc vnum omnibus respondit: Iniquum hoc loco certamen, vos ante domos vestras animosiores estis: Senio scilicet eorum & vicinæ morti alludens. Nec prius intellectus quàm eo ab oculis ablato, cœmiterium circumspicientes, quas ille domos loqueretur penderunt. Innumerabilia dixit ad hunc modum, quæ apud nos vulgo etiam notæ sunt: Hoc enim loco non iocos eius prosequi, sed nomen attingere propositum fuit.

DONATVS PATAVINVS.

Donatus Patavinus, fuit nuper Poëtarum omnium, quos nostra vel Patrū nostrorum vidit ætas facilè Princeps, nisi Iuris ciuilis studium amplexus, & novem Musis, duodecim tabulas immiscuisset, & animum ab Heliconiis curis, ad Fo-

i. j.